Vir admodum Reverende ac Celeberrime, Fautor ac amice summa observantia Sonorande. Ultima mea Epistola ad Reverentiam T. scripta fuit undecimo Martii proxime praeteriti. Ab eo tempore nihil aut parum de vobis audivi: nisi quod hodie Gerhardus noster mihi retuleris, vobis Dei beneficio bene adhuc esse, et patruum suum Reverendum Heidelberga Bremam venisse, ut praesentiam suam vobis aliquandiu largiretur. Volui autem diutius differre transmissionem rationum, ut scires, quibus usibus nummos mihi transmissos impenderim. Ipsas Creditorum Apocas in custodia fere mea adhuc servo; cum nondum omnibus plene sit satisfactum. Sunt aliqui ex illis, honesti tamen, quibus adhuc summula aliqua debetur. Hos tamen effeci, ut mihi partem debiti solventi promitterent, se molestiam debitori ob exsolutionem residui non exhibituros, sed temporis alicuius moram ipsi concessuros, dum fortuna eius stabiliatur: quod Dei auxilio & amicorum favore ei obventurum speramus. Ad examen praeparatorium, ut audio brevi admittetur; de quo Reverendi D. Colonii litera vos uberius informabunt. Ad illud feliciter peragendum indiget vel inprimis gratia vestra: quam ne ulterius filio resipiscenti claudat supplex rogo. Pro magno peccato parum supplicii satis est patri. A curatoribus nostris vix audeo aliquid promittere, quamvis sapius sint admoniti, & reverenter rogati. Angustia aerarii facit, ut nihil certi decernant. Utinam ex classe illa argentifera, quae in oras Hispaniae feliciter adventasset, nunc pro certo nunciatur scapha aliqua in nostrum portum appelleret, hoc remedio inopia nostra argentaria, qua ut plurimum laboramus, posset sublevari. Verum nobis non licebit esse tam beatis. Nobis hoc unicum relictum est, ut cum Venusino Lyrico philosophemur: multa petentibus desunt multa: bene est, cui Deus obtulit, parca & satis manu. Hodie literas Amstelodamo accepi, de pace inter Hispaniarum ac Galliarum Reges conclusa amplius non dubitari, cum litera heri Parisiis allatae id confirment. Classis Hollandica, qua tanto apparatu hactenus instructa est, iam scribitur esse parata, & nihil restare, nisi ut Deus ex alto aspiret, et vento secundo in Daniam naves istas promoveat: quod summe necessarium est. Ante aliquot septimanas Consul Hieveldius, Rectae tuae non ignotus, pio excessu nobis ereptus est. Libri istius, de quo in prioribus meis devote scripsi, ut Reverentia Tua memor sit, iterum iterumque obsecro. Magno beneficio me sibi obstringet. Finem facio, & dicta salute plurima mihi & uxoris nomine, Reverentiam Tuam cum tota familia, chiam Fratre Vestro Venerando, Divinae protectioni ex animo commendo. Hardenvici XXVIII. Aprilis stilo Juliano. Anno reparatae salutis CIↃ. IↃ. CLVIIII.

N.B.

Reverendissimae Dignitati Tuae
Devotus
J. Christenius.

marius

1658. Apr. 28.

Christenius

1660. Mai 22.

18. Sept. 164

Dem Wolgeborn Gestrengen
und Hochgelahrten Herrn
Herrn Henrico Hockenio Sacrarum
Theologiæ Doctori & Professori: Meinem
Hochgeehrten Herrn und Gönner